

visti, depulso prioris seculi malo, inertia, et contumacia, et dedignatione parendi! Tutum est reverentiam, tutum caritatem mereri. Nec ducum quisquam, aut non amari a militibus, aut amari timet: et inde offendae gratiaeque pariter securi instant operibus, adsunt exercitationibus, arma, moenia, viros aptant. Quippe non is princeps, qui sibi imminere, sibi intendi putet, quod in hostes paretur: quae persuasio fuit illorum, qui hostilia quum facerent, timebant. Eodem ergo tempore militaria studia, nec animos modo, sed et corpora ipsa languescere, giadios etiam incuria hebetari retundique gaudebant. Duces porro nostri non tam regum ceterorum, quam suorum principum insidias, nec tam hostium, quam commilitonum manus ferrumque metuebant.

XIX. Est haec natura sideribus, ut parva et exilia validiorum exortus obscuret; similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen major omnibus quidem eras, sed sine ullius diminutione major. Eamdem auctoritatem praesente te quisque, quam absente, retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reverentia accesserat, quod tu quoque illos reverebare. Itaque perinde summis atque infimis carus, sic imperatorem commilitonemque miscueras, ut studium omnium laboremque et tamquam exactor intenderes, et tamquam particeps sociusque relevares. Felices illos, quorum fides et industria non per internuntios et interpretes, sed ab ipso te, nec avribus tuis, sed oculis, probabantur. Consequuti sunt, ut absens quoque de absentibus nemini magis, quam tibi, crederes.

XX. Jam te civium desideria revocabant, amoremque castorum superabat caritas patriae, iter inde placidum, ac modestum, ut plane a pace redeuntis. Nec vero ego in laudibus tuis ponam, quod adventum tuum non pater quisquam, non maritus expavit. Affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata, interque ea, quae imputare non possis. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, nullum circa hospitia fastidium: